BELLVM *Grammaticale,*

Sive,

Nominum Verborumq;

discordia civilis

TRAGICO-COMŒDIA.

Summo cum applausu olim apud *Oxonienses* in Scænam producta, & nunc in omnium illorum qui ad Grámaticam animos appellunt oblectamentum edita.

Hus ades hæc animo ——

LONDINI,

Excudebant *B. A.* & *T. Fawcet*, Impensis

IOH: SPENCERI. 1635.

Dramatis Perſonæ.

In caſtris Nominum,

Poeta, *Rex Nominum.* } { Cis, *Regina Præpoſitionum.*
Ego, *Dux Pronominum.* } { Ille, *Paraſitus* Poetæ.
Pape, *Dux Interjectionum.* } { Adjectivũ in Neutro genere

In caſtris Verborum,

Amo, *Rex Verborum.* } { Vbique, *Paraſitus.*
Edepol, *Dux Adverbiorum.* } { Edo, *Verbum.*
Sodes, *Legatus.* } { Sum, *Fugitivus.*

Participium, *Dux Inſidiatus.*
Fors, *Nuncia.*
Simul, *Dux Conjunctionum pacificus.*

Quamvis, } *Præcones.*
Tamen, }

Soliciſmus,
Barbariſmus,
Trauliſmus, } *Grammaticæ Peſtes.*
Cacatonus,

Priſcianus,
Linacrus,
Deſpauterius, } *Grammaticæ Iudices.*
Lilius,

Scæna,
Grammaticæ Provincia.

POLITIORIS

literaturæ *Neoptolemis* candidatis, nec minús natalium splendore, quam indole congenitâ, illustrissimis,

Domino THOMÆ GRAIO
Baroni de *Latâ Portâ*, filio & hæredi Comitis *Stanfordiensis*, &

Domino HENRICO HOVVARDO,
filio natu-minori Comitis
Berchreiensis.

Εὐφραίνειν καὶ Εὐπράτ]ειν.

QVod veteribus, qui nil exauspicabant, assuetum, ne prorsús quidem, absente Auspice, condicere nuptias, licét ipsa auspicia * refri-

* *Valer. Max. lib. 2. cap. 1.*

refrigeſcerent, ſub iſto tamen titulo, guadaſis memoriale revereri: noſtri plurimis, qui œſtro hôc componendi percientur, idem invaluit; ut, etiamſi Patronorum antiquatur & potentia, & beneficentia, nihilo-ſeciús, vixque ſine ambitu, præcipuis nobilibuſq; viris exanguium ſchedarum clientelam conjiciamus. Illud hîc, ex more, mihi accidit. Vultis *Laconizem?* Dramaticum hunc inveni typum, quaſi orphanum, nilq; auxilij habentem, ac (ut non inconcinné * *Seneca*) —

Senec. de benef. lib. 7. ca. 25

ejectum litore egentem —— excepi, —— fovi, indulſi, veſtiui. At priuſquam lucem ferre queat, vulticello quopiam dignitatis opus eſt, qui arridentē inſpiciat colluſtretq;.

Id mihi negoti credidi ſolùm dari,
ut huic proſpicerem indulgentiæ. Vos igitur, (Igniculi Heroici) ad vos etenim confugio, hanc Provinciam ornare ne dedignaminor; ſiniteq; hanc hederam inter victrices lauros vobis ſerpere: nec apparatum hunc, utcunq; rudem, fæces, ceſpiteſque, aſpernamini; ſed hoc, qualecunq; eſt, eo, quo offertur, animo accipite, ſimplici, candido, facili.

Parcentes ego dextras
Odi, ſpargite roſas,

quæ ſuauitér nos, noſtramq; Muſam, recreent ac delectant. Quod ad naſutos, dicaculos, imperioſos, & ſi quod aliud arrogans hoc genus hominum, qui ſingulos fere allatrant, ac ſuperciliſé contemnunt;

temnunt; ringantur & liueant: Ego sub tutelâ vestrâ securé delitescens, nec-non scuto tectus veritatis & candoris, Ἐπινίκια, lætus, canam, & avertentia sacra faciam Pallori, & Invidiæ. His interim non gravaté fruimini, macti estote, felicitérq; valete.

E cubiculo meo Sexto Iduum *Septembris*.

Vestræ Observantiæ

Addictissimus,

IOHANNES SPENCERVS.

BENEVOLIS PER totam *Angliam* Rei-publicæ literariæ Toparchis.

S. P.

NEutiquam vos lateat, plusquàm Spectatissimi, hanc Tragico-Comædiam, (quæ, bellum Grammaticale, *inscribitur) annis aliquot iamdudum elapsis ab eruditissimis* Oxoniensibus *fuisse adinventam, coramq; serenissimâ* Elizabethâ, Anglorum *novitér Reginâ, in proscenium representatam. Hâc hominum ætate ipsissimum Drama, cúm vestrâ observatione, túm vestrorum lectione dignissimum, & ob stili puritatem*

tem, ac ſermonis elegantiam, materiaq; ſuavitatem, Prelo committendum curavi : tyrones etenim tyrunculique, animos ad rem Grammaticam appellentes, non parúm emolumenti exinde queant decerpere. At forſitan me homuncionem audaculum, & arrogantioris ingenÿ veteramentarium, ſuſpicemini, qui aliorum lucubrationes in propatulo tranſmittere adeò audacter in me ſuſcepi. Hoc mihi vitio non vertendum; ideò enim feci, ut publico conſulerem commodo. Verúm quid inclino? Penes vos manet, faventiæ ac facilitatis aurâ omnes iſtiuſmodi deflare nebulas, acceptationiſq; benignæ radÿs diruncinantibus clarum quoquó-verſus reſtituere hemiſphærium. Nil ultrá requiro, paulò minús efflagito. Pluribus haud moror, ne videar citra clepſydram excurrere,

rere, vel inutili multiloquio tempus conterere. Vnum duntaxat superest; si cordi vobis fuerit hic codicillus, venalem habeatis iuxta Portam Collegij Sionis Londinensis, *ibidemq; inveniatis Bibliopolam & eiusdem Collegij Bibliothecarium, vestriq; singulis omni obsequio officiosissimé devinctum.*

E, cubiculo meo Sexto Iduum Septembris.

Iohan: Spencerum.

Συγγραφεῖ ἐκδόσεως τούτου Δρᾶματος,
Ἐξάστιχον.

οὐχ ἐδέησε βλάβας πτῆξαι πρ̄ ἀπαστὶ ποδώκεις,
ὠφελίην μείζω δ' ἀίκε φέρουσι τέλος.
Ἠνὶ, καταιγὶς ἐρικλαύστου πολέμοιο κελαινὴ
εἰρήνης σταθερᾶς δεσμὸν ἔπλεξε γλυκύν.
Εὖγ' ἄρα, μοῦ Σπεῖκήρ', ἀφροντίδα δοὺς βιοτείαν
ἀρθμῷ τ' ἡσυχίας ἀρραγεῖ σθενέος.

Ἰωάννης οὐάλπολος.

AD LECTOREM

PErlegis: ast ægrè: fortè ægriùs at mala laudas:
Ne laudes: læta me, rogo, fronte legas.

In librum libriq; promulgatorem.

HAud gracili calamo, de parvis, grandia, prisci.
Nobilis ingenij nobile semper opus.
Parvule vade liber, tamen exculte & sale tincte.
Vtilis & dulcis vade libelle foràs
Si tua musa mori, poterit si fama perire,
Esse potest lepidis urna parata jocis
At procul hinc languor, quanquam contabuit annis
Multis: atq; situ marcuit artis opus
Iam tandum vigilans *Spencerus* marte, labore
Marcorem tersit restituitq; decus.

PET: VOVVELLVS.

In libellum Belli Grammatici.

VTilis est ignis nebulas, & frigora pellens,
Vtile piscosas est mare propter aquas.
Nec minus est nobis terrarum commodus orbis,
Nec minor utilitas aeris esse solet.
Quis solis, quis aperta poli non commoda sentit?
Commoda quis cunctis haec negat esse locis?
Vtilior doctrina libro fulgescit in isto
Igne, mari, terris, aere, sole, polo.

ANONYMVS.

Ad Grammatistas.

DIsce Puer, dum tempus adest incumbito remis,
Hic, hic discendi causa parata datur.
Ordine tunc tua res poterit procedere recto
Si bene cunctorum singula facta notes.
Huc ades, haec animo, si sit tibi cura Latini,
Fac properes dulceis imbibiturus aquas.
Aurea fluctifero sunt mersa monilia ponto,
Ast nunquam virtus mergier ulla potest.

I. Sp.

Errata.

PAg. 3. lin. 24. pro *Omnina*, lege omnia, pag. ibid. pro *sepeliavi*, sepelivi. pro *alienam*, aliena. Pag. 5. l. 11. pro *Consilia*, consilijs. pag. 9. l. 18. pro *viceris*, viceris. pa. 12. l. 6. pro *de sine*, define. p. 14. l 27. pro *relinguitur*, relinquitur pag. 41. l. 7 pro *sublata*, sublato. p. 45. l. 28. pro *esurieſt*, esurite, st pag. 50. l. 3. pro *laterem*, lateram. p. 52. l. 14. pro *totum*, totam.

BELLVM
GRAMMATICALE.

Prologus.

HOc agite si vultis (spectatores benevoli)
Quos solos adesse speramus, & cupimus; Tragico-comœ-
Vobis dabimus, nobis si aures & oculos dare est otium. (diam
Non quæ lacrymas exprimat, sed risum moveat;
Nam belli funesti & luctuosi sim licet nuncius
Quo florentissimam Grammaticæ *provinciam miserè*
Vexarunt Poeta & Amo *seditiosi Principes.*
Non sine lamentabili strage fortissimorũ Verborum & Nomi-
Plus tamen delectationis faciet, & lætitiæ, (num.
Quam doloris, & luctus; quòd spectatores, non Actores eritis
In tam tristi certamine; quod si vobis ridiculi
Videbimur, quod rem in Scænam producimus ridiculam,
Decorum nos observasse existimabitis ut in fabulis decet,
Materiam qui sumpserimus nostris convenientem viribus.
Date operam, adeste æquo animo per silentium
Ut pernoscatis belli tam atrocis principium, & exitum.

ACTVS, I.

Actvs, I. Scæna, I.

Ille Parasitus, solus.

O Populares ecquis me vivit hodie fortunatior?
Nemo hercule quisquam, nam in me dij penario
Qui præsunt potestatem omnem ostendere suam,
In cujus ventrem tot subito confluxerunt bellaria,
Nunc est profecto cum interfici me possum perpeti
Næ felicitatem ad imat fames jejunio aliquo.
O ineptos; & ridiculos Philosophos! qui de summo bono
Disserunt in Scholis, & interim quod potitent,
Aut quod edant non habent; mihi vero ista est sententia,
Ego summum bonum esse judico alienum cibum arrodere
Et in aliena mensa delicatè vivere.
Hoc si-quis Philosophus fortè non credat is esuriat domi,
Aut si magis placet in scholis Philosophetur famelicus!
Quì modo præ fame ut infernalis latrabat *Cerberus*.
Quam pulchrè sedata est illa civilis discordia!
In ventre quam fovebant intestina modo.
Pol nisi maturè, atque opportunè *Bacchus* & *Ceres*
(Quæ ego solo adoro numina) munera sua
Misissent in auxilium mihi, bellum ut componerent
Actum esset pœnitus de hac mea Republica.
Sed interim miramini forsan qui sim, id paucis eloquar.
Ego *Ille* vocor de gente oriundus *Pronominum*,
Non sum *Ille* Buridoni asinus
Qui cum esset inter duo constituta alimentorum genera

Æqui

Æque palato convenientia ſuo fame perijſſe dicitur,
Neque *Ille* ſtultus ſum *Diogenes*, qui vacuum maluit
Quam vino repletum inhabitare dolium.
Nec *Ille ego qui quondam* macilentus, & gracilis;
Ille ego ſum obeſus, pinguis, tumidus;
Ille ego ſum ſervus *Poetæ*, coquinæ Dominus,
Ille ego ſum Gurges, Vorago, helluo,
Barathrum, & ne plura dicam centrum omnium
Quæ ſunt uſpiam cibariorum gravium qui deorſum petunt;
Ad me omnes lineas ductas à circumferentia
Omnium menſarum eſſe cupio æquales; ego ſum Iudex
Quem conſtituit *Poeta* Rex meus in coquinæ Conſiſtorio,
Vbi ego (quæ eſt mea in meo Regno gloria,
Et Majeſtas) ſedeo magnificè inter ſplendidas,
Et fulgentes ollas, patinas, lebetes, verna; (& mea
Quæ eſt authoritas) Gallinas, anſeres, oves, porcos,
Boves, vitulos, totum terreſtrium, aquatiliũ, volatilium gregem
Capitis condemno inceperint ſi forte nimis pingueſcere:
(Nam *oſtraciſmum* noſtræ non fert ſtatus Reipublicæ)
Hos igni torrendos, aſſandos illos aqua,
Omnes morti adjudico; ſed quia pietas non patitur
Quiſquam eorum ut unquam inhumatus coruis, & beluis
Projiciatur dilaniandus, hunc meum ventrem feci cæmiterium,
Vbi omnina hujuſmodi ſepeliui cadavera bona cum venia.
Quid ego vobis referam? quantus grex aquatilium
Sit ſepultus hodie in meo Cæmiterio?
Sed quid ago? Non eſt hoc ſapientis de præſentibus
Lætari impenſius bonis, negligere quæ impendeant mala;
Nam mens mea & ventri meo neſcio quid
Præſagit mali; illa, illa infœlix contentio

Quæ de principatu hodie est orta in convivio
Inter *Amo* Verborum principem, & *Poetam* Regem meum,
Finem dabit conuiijs omnibus; pingue concessum est otium
Faucibus, dentibus, palato, gutturi, stomacho, visceribus;
Sed quis exit foras? Satis lento procedit gradu.

Actvs, I. Scæna, 2.

Adiectivum. Ille.

Adject.

QVid hoc? siccine fit pedes? statim? an non? an id
Vultis, ut me jacentem hic tollat aliquis?
Nam herele si cecidero vestrum erit flagitium,
Vix satis adhuc suum faciunt officium:

Ille. Est hic vir humanus admodum: ut officiose genua
Flectit me ut salutet; & tu salve plurimum.

Adject. Sed non mirum est me non posse certo pede
Humum signare qui nunc primum incipio gressus facere.

Ille. Monstri simile! *Adjectivum* est, oculi si non parum
Prospitiant mei; sic est, quid hoc novi?
Equites novi plurimos ex *Adjectivorum* familia,
Peditem nunc primum video, hoc quid sit satis mirari nequeo,
Cujus Pater, Avus, Proavus, Abavus, Atavus, Tritavus,
Maiores omnes humi repsetunt vermes ut solent.
Eum ut ego videam *Substantivorum* more pedibus incedere?

Adj. Tamen aliquando sum *Adjectivum* in *Neutro genere Absolute, hoc est absque Substantivo positum.*

Ille. Aliquando *Genitivum* postulas, vt *paululum pecuniæ.*

Hoc

Hoc noſtis, non videmus id manticæ quod in tergo eſt,
Quantum quiſque ſua nummorum ſervat in arca
Tantum habet et fidei.

Adject. Mei juris ſum homo, excuſſi ſervitutis iugum,
Quo me graviter oppreſſit *Subſtantivorum* ſuperbia
Quamdiu me illis regendum præbui,
Nunc non hujus æſtimo *Subſtantiva* omnia.

Ille. Magnifica vero vox *Adjectivo* digniſſima
In *Neutro genere* poſito.

Adject. Ego alieno nuper eram ſubjectus imperio,
Et alienam quondam indigebam ope,
Nunc ego mihi meo jure *Genitivum caſum* poſtulo,
Vt mihi ſit ſicuti ego olim fui *Subſtantivis* morigerus.

Ille. Ne ille fœlicem ſervit ſervitutem qui tibi inſerviet Do-

Adject. Quin imo mihi eſt copia *ſuſtantandi* alia (mino
Adjectiva Conſanguinea mea, vt ejuſdem ſint *numeri*
Caſus, et *generis* cujus egomet ſum, et eſſe cupio;
Sed genua mea ſuccidunt præ laſſitudine,
Quieſcam hic parumper deinde reuertar domum.

Ille. Adibo hominem, ſed ſimulabo quaſi nunc exeam
Nimirum hic dabit mihi per multos jocos;
Adjectivum ſalvere jubeo.

Adject. Satis pro imperio quiſqus es,
Nolo ego hanc tuam imperioſam ſalutem.

Ille. Peto igitur humilime ut ſalvere velis.

Adject. Satis ego ſum ſalvus tua licet ſalute caream.

Ille Attamen accipe ſalutem ab amico.

Adject. Quis tu homo es?

Ille. Ego Pronomen *Ille* ſummus amicus, et familiaris
Mitor equidem te *Subſtantivo* deſtitutum tuo (tuus

Hic ſedere ſolum.

Adject. Dignus es odio, quid ut ego cum *Subſtantivo* agam?

Ille. Vt te regat, manu ducat, quovis deducat unde velis.

Adject. Mihi *Subſtantivo* qui me regat non eſt opus,
Mei pedes me ducent quo volo.

Ille. Quis Faber lignarius corpori tuo aptavit tibias?

Adject. Quid ais omnium —— ? ligneas me habere tibias.

Ille. Vt qui carneas habere non poſſis niſi forte dudum
In tibias exierunt nates.

Adject. Diminuam ego caput ni taceas.

Ille. Bona verbo quæſo.

Adj. Itane videor idoneus ut in me tam aperte illudas miſer?

Ille. Eia *Adjectivum*; leviter qui ſæviunt ſapiunt magis,
Nique façis ſi in eam partem verba interpretaris mea,
Ego in eam ſum locutus ſententiam ut potius de tua
Gratularer fœlicitate, quam ut haberem ludibrio.

Adject. Tu ſi ex animo, & vere dicis facis ut te decet,
Redibo tecum libenter in gratiam.

Ille. Sed dic amabo, quis te hoc tanto ornavit beneficio?

Adject. Date mihi ergo veniam; Rem noſti, nutricem meam
Quam ego ſemper habui ducem, & comitem, pro ſumma ſua
Qua me eſt amplexa ſemper benevolentia
Abſolutè in Neutro genere poſitum deſeruit modo,
Vt Nutrices ſolent infantulos ubi ablactant ſuos)
Ego ſtatim (quæ eſt mea audacia) prodeo in publicum ſolus.

Ille. Factum eſt ædepol ſtrenue, animoſe, fortiter,
Virum ut fortem decet, tricentorum dierum infantulus
Vix auderet tantum facinus aggredi, tamque egregium.

Adject. Abi quo dignus es, Scelus; mene patrem
Innumeroſæ prolis infantulum per riſum vocas?

Ille

Ille. Vocavi; ſed grandem, trecentorum dierum, quod tibi
Detraxi honoris, nomini numero ætatis addidi.
Adiect. Dignus tibi videor cui pro annis dies numeres?
Ille. Digniſſimus! ut qui vix adhuc poſſis humũ certo ſignare
Adiect. At certis ſignabo pugnis ſceleſtum tibi caput (pede.
Linguam ni comprimas.
Ille. Næ ſævi tantopore —
Si tibi cordi eſt pugnare, erit brevi
Vbi tu pugnos, & hoſce novos pedes exerceas tuos.
Adiect. Haud decet fortem pugnis pugnare pedibus
Illud puerorum eſt: hoc ne quidem puerorum eſt.
Ille. At ſapientes quicunque ſapiunt mea ſapientia,
Cum maxime pugnant tum maxime fugiunt.
Adject. Ergo tu ex leporum genere, qui cum canibus
Venaticis pedibus magis certant quam viribus.
Ille. Male narras herculè, nec ego pedibus,
Nec viribus unquam confidam meis,
Si in linguæ, aut dentium pugnâ virium
Mearum facere velis periculum, virum me dabo.
Adj. Credo equidem, ſed quam tu pugnã mihi narraſti modo
Ille. At in flãmas hi fumi vereor ne erumpant, verba in ver
Adiect. Beaſti me hoc verbo, hunc generoſi animi (bera
Iamdudum expetiverunt diem, qui pace, & otio
Diuturno vixerunt, jam pugnas didicerunt, & prœlia;
Si me amas *Ille.* hortare, mone Regem tuum,
Effice ea (qua polles) ſapientia & eloquentia arma ut capiat,
Et hanc ne inultam ſinat injuriam, ego in ejus auxilium
Tres Equitum turmas meis alam ſumptibus.
Ille. Fortiter ſanè. Sed quid equos ſufficiet?
Adiect. Tantum ille dabit, ego de meo alam

Promitte audacter meis verbis,
Interim eo domum ut conſcribam exercitum.
Ille. Dulce bellum inexpertis, qui vel muſcas metuit
Quàm eſt ante pugnam hic animoſus & ferox?
Trepidabit hic leo ad galli cantum
In aciem ubi venerit; ſed quid ego otioſus hic garrio?
Tempus eſt ut Regem inviſam, & ſciam quid agat,
Et quid conſilij captet: ſed ipſe exit Foras.

ACTVS, I. SCÆNA, 3.

Ille. Poeta Rex.

Ille.

OPportune te mihi offers Rex invictiſſime,
Quid triſtis es? quis animum tuum exagitat dolor?
Poet. Nihil mihi unquam quod ſcio in vita contigit
Quod meum ita vulneravit, & vexavit animum,
Quam illa convitia quæ in hodiernis æpulis
Imo mihi objecit arrogans, ſuperbus, inſolens,
Quæ ipſa per ſe etſi odioſa fuerunt ſatis,
Odioſora tamen antiqua conſuetudo facit.
Ille. Ridiculum eſt hoc quidem hominem tui loci
Ægre ferre quod in manu eſt corrigere.
Poeta. Corrigere inquis? Id ego non video.
Ille. Si facis ut homines te dignum tuo imperio deputent.
Poeta. Vt deputent — id quod ſit non ſatis intelligo,
Proin loquere ſiquid habes conſilij.
Ille. Loquar quoniam ita vis, tu adverte animum

Tibi

Tibi dignum tuo imperio oſtenderis,
Si id quod te decet, invictum retines animum.
Invicti vero animi, meo quidem iudicio,
Nullum magis eſt argumentum quam ſi iniurias
Per ſuperbiam illatas animoſe vindices,
Neque par eſt ut qui virtute clarior,
Stirpe nobilior, armis potentior,
Rebus geſtis illuſtrior, dignitate ſuperior,
Animi magnitudine inferior videaris, neque addecet
Vt cum natura tibi robuſtum corpus dederit,
Mentem ignavam, humilem, et demiſſam geras;
Quo-circa meum eſt conſilium, vel ſi ſaluti tuæ,
Vel dignitati velis conſulere,
Vt hanc tantam, tamque atrocem injuriam
Nolis inultam ferre.

Poet. Scio equidem, *Ille*, meam eſſe ampliorem provinciam
Milite ſuperiorem, dignitate parem,
Sed audi'n; *Conſilia omnia experire prius*
Quam armis ſapientum decet.

Ille. Bene habet, an non id ſimul in memoriam venit
Quod idem ille ibidem loquitur
Hanccine ego ut contumeliam tam inſignem in me capiat
Mori me ſatius eſt, ſentiet qui vir ſiem.

Poet. Equidem hac nocte oculis ſomnum non vidi meis,
Dum videam qua ratione ulciſcar hanc inſaniam,
Ad bellum nobis omnia inſtructa ſatis intelligo,
Exercitum quantum *Xerxis* fuiſſe perhibent
In quo numerati ſunt decem militum Miriades;
Sed cladem ab armis civilibus toti Provinciæ metuo.

Ille. Cur sit Provinciæ, tibi quam illi charior
Tu ut cures quam ille negliget?
Si pereundum est, solus perire non potes;
Qui injuriam tibi fecit peribit simul.
Hoc adfert bellum illud commodi,
Si viceris soli tibi vinces,
Si perdis peribit simul hostes tuus,
Quanquam non video cur de victoria dubites,
Nostri sunt quoscunque orbis habet milites,
Magni illi Heroes, *Ajax*, *Diomedes*, *Hercules*,
Achilles, *Agamemnon*, *Protecilaus*, *Idominæus*,
Menelaus, *Ulisses*, *Telamon*,
Hector, *Sarpedon*, *Memnon*, *Troilus*,
Æneas, *Menetas*, *Iason*, *Priamus*,
Nestor, *Briarius* vastusque centimanus
Nostri sunt, si omnes numerare copias
Vellem tuas, dies me priusquam oratio deficeret.
Nihil deest tibi præter animum tanti boni
Capacem; non potes hercule cessare sine dedecore,
Pugnare autem sine periculo potes.

Poeta. Profecto quanto magis, magisque cogito,
Et solus illius contumelias mecum repeto,
Indignus videor majoribus meis,
Indignus fortissimorum Militum tantis copijs,
Æquo si possum ferre animo tam turpes injurias.
Præterea ingratum fore nostris apud *Elyzios*
Iampridem mortuis si à *Verbo* feram
Tantum convitij qui sine me, & meis
Nec facere, nec dicere quidquam potest.
Quapropter de tuo, *Ille*, mox consilio

Bello hanc ab illo persequar injuriam.
Itane contemnit, facitque nihili
Petram Amo? Verbis ita incessit suis?
Vir sentiet qui sim, dabit duras mihi —
Nescit miser quid sit rabiem *Poeticam*
Stulticia incitare feruida.
O si mihi nunc detur obviam,
Animum primùm extinguerem,
Deinde miseris lacerarem modis,
Sublimem medium arciperem,
Et caput in terram statuerem
Vt Cerebro dispergat viam,
Hinc eriperem oculos, post præcipitem darem.
Socios autem ruerem, agerem, raperem, & prosternerem.

Robora dum Montes, dum pabula mollia Campi,
Dum *Tibris* liquidas *Tuscus* habebit aquas.
Bella geram in *Verbum*, nec Mors mihi finiet iras,
Sæva sed in manes manibus arma dabo.
Tum quoque cum fuero vacuas dilapsus in auras,
Vmbra umbræ exanimi prælia sæva dabit.

Ille. Furias *Poeta* furore correptus evomit.
Animosa mehercule, & te digna Oratio
Iam tandem intelligo te majorum tuorum animum
Retinere, quorum in vultu refers imaginem.
Iam tandem rerum florentissimarum video
Initium, cum redacto duarum gentium
In vnum imperio solus regnare poteris,
Atque hanc expeditionem scio universis *Nominibus*

Gratam futuram, adeoque glorioſam tibi.
Poet. De voluntate ſane meorum *Nominum*
Non magis quam de mea dubito,
Nam et quorundam in re ipſa conſilium fuit,
Et alios ſcio hoc ipſum expectare ſedulo.
Ille. Prudenter hercule ut ſoles omnia,
Neque abs re erit meo judicio
Si *Participiorum* in te tentes animum
Sunt (ut ſcis) ſummarum virium,
Et in quamcunque partem inclinant, momemtum non trahun
Sed a *Verbo* oriunda a *Verbo* trahunt, {parvum
Si non potes in *partes* tuas *inflectere*,
Si ut illum non ſequatur effeceris ſatis erit.
Poet. Bene hercule ſuades, nam de *Participio*
Quamvis credo eſſe noſtrarum partium,
Noſtrique amantiſſimum ob ſumma *Nominum*
In eam merita, tamen tibi literas
Ad illum dabo, quibus monebo officij ſui;
Præpoſitiones etiam, & *Interjectiones* meo nomine
Adibis, & hoc noſtrum expones conſilium.
Ille. Factum puta ex animi tui ſententia
Nam quod poſſum pro officio tibi debeo.
Poet: Facis ergo ut ſalutes omnes meis verbis.
Comiter, et ſtrenue rem noſtram agas.
Præpoſitiones mone maxime ne officio
Deſint ſuo, et *Caſibus* noſtris ſerviant ſedulo.
Cum *Interjectionibus* etiam age quod in te eſt,
Nam quamvis illæ per ſe parvam poſſunt,
Tamen *hortationibus*, & *inclamationibus*
Ad rei ſummam non parum conferent.

Ille. Tu interim quod cœpisti perfice graviter,
Nam si quidquam remittes de nobis actum erit.

Actvs, I. Scæna, 4.

Amo, Rex verborum; *Vbiq;* illius Parasitus.

Amo. AN unquam quisquam cuiquam contumeliosius
Audivit factam injuriam quam hæc est mihi?
At ô dij immortales quam est difficile
Homini incauto, impuro, atque improbo
Temperare sibi ne mentem vitiosam arguat?
Quid mihi author es, *Vbique*, ut faciam?
Nam scio prudentis esse, & magni animi
Hominem impotentem potius contemnere,
Quam rixas & lites cum eo suscipere;
Ut tamen cum rei indignitatem mecum altius
Ut soleo cogito, dij boni, vix est credibile
Quàm ægre feram, quàmq; gravatè contumelias,
Hæret animus, nec quid agam possum statuere.
Animus aliquando inclinat ut hominem nihili
Nihili faciam, aliquandò turpe existimò
Tam insignes inultas ferre contumelias.

Vbiq. Fortitudo sane quidem (olim ut dixit Philosophus)
Non solum in contemptu rerum humanarum cernitur,
Sed in subeundis etiam fortiter & ferendis periculis;
Itaq; laudo generosum tuum animum

Qui

Qui nugigerulam homuncionem nauci facis,
Sed ut vere fortis sis utroque modo
Ad magnitudinem hanc animi periculosam adire
Contentum oportet, si huic malo obviam is,
Et insanum *Poetam* intelligere facis
Quantum & quam fortem hominem
Offenderet, ipsum *Herculem* viceris laudibus.
Amo. Etsi odiosum mihi semper est odium,
Et amori nihil quidquam magis contrarium,
Insultus ille homo ita commovit animum
Vt pro amore ira flagrem, spirem odium,
Ita insania sua commovit furias
(*Alecto, Mæeram, Erinnim, Tisiphonem*;
Vt mite mihi extinxerit ingenium.
Vb. Recte oderit quisquis hostem oderit,
Tam laude dignum infestum odisse hominem,
Quam amore prosequi amantissimos
Ne quid vereare, dignus est ille odio.
Amo. Quid tu me illum odisse tantum autumas?
Imo utramque *Verborum & Nominum*
Odi gentem, Patrem odi qui me genuit, *Amo Rex sævi*
Matrem quæ me peperit; amicos omnes odi meos
Te, *Vbique*, odi donec illius odiosum ulciscar odium.
Vb. Hui, adeone quenquam ex amore in odium
Commutari ut non cognoscas eundem esse? dij boni!
Quid hoc morbi est? quis hic furor here?
Amo. De sine compellare aut ———
Vbi. Heu! quid aut hoc verbi est?
Minatur credo, hei metuo ne non sit compos sui, here;
Amo. Quis, me interpellat? adeone tibi videor idoneus

n quem aperte illudas, miſer?

Vbi. Saltem paucis ——— } *Colophum dat.*

Amo. Malum male queris? hem tibi — }

bi Machæra? gladius vbi quo hunc maſtem?

Vbi. Miſeret me tui.

Amo. Egone garrulum, ineptum, impium,

uem *Plato* iure e Republica expulit ſua-

ſcelere triumphare, inultum ſinam?

on, non ſinam, non feram, amorem ſentiet,

diſſe poſſe etiam; quid? ille me putat

uia omnes amo, odio poſſe neminem perſequi.

Vbi. Sed modum quæſo odio ſtatue.

Amo. Amoris modus eſt, odij nullus.

Vbi. Illum ut lubet, ſed nos quæſo ne ſimul oderis.

uibus oportet vti ut hoc ulciſcaris odium,

d te redi, & conſcribe exercitus

t odium hoc omne in hoſtem evomas.

Amo. Ita me dij ament ubi ſum neſcio.

a bile feruet, ita tumet mihi jecur.

Vb. Quanta ira *Poetam* credibile eſt

xardeſcere, cum *Amo* tanto ardet odio?

ere, ab *Iambis* ejus caue

e te aliquando ut *Lycambem Archilicus*

edigat ad ſuſpendium.

Amo. Egone! temulenti nugatoris *Iambos* floccifaciam,

quidem furorem cerebro illi excutiam,

t tam placidum vobis reddam quam eſt ovis,

lene ut *Provinciæ Grammaticæ* aliquam partem

apeſcat, qui furore ſemper inſanit *Iambico?*

Vb. Nunc ad rem redis, convoca omnes tuos

Non

Sed quid fers novi? fac me ut sciam.
Ille. Belli sum infœlix nuncius.
Par. Belli? cedo quod.
Ille. Vbi imperator apparator, lanx falanx,
Vbi signum pugnæ dant tibia tibicines,
Vbi prœlij locus focus; ossa fossa; lances lanceæ;
Cristæ cistæ; acies facies: bella labella: spicula pocula:
Vagina lagina: spolia dolia: scutum scortum:
Prœlia prandia: tratagemata stratagemata:
Iam me deficit spiritas ——
Par. O quam lepidum, et facetum describit bellum!
Animus tuus est in patinis cum Rex tuus in prœlio.
Ille. Quid ni sit? infamia perire malo quam fame.
Cape has tabellas a Rege meo.
Par. Sine legam.
Ille. Salutat officiose satis: Etiam blanditur homini:
Breviter narrat & dilucide, minatur etiam graviter
Salva res est: vel lapidi persuaserit,
O quam prudentem habeo Regem!
Etiam metuit nos hic nebulo!
Par. Proh deum atque hominum fidem! quæ ista est amentia!
Quæ res, quæ (malum) illos furiæ atque intemperiæ agitant
Adeone homines esse percitos furore ut nullum habeant
Vel communis vtilitatis rationem, vel salutis suæ?
Ille. Nihil agis; eo processit res ut frustra revoces,
Fac *Participium*, memor sis officij tui,
Scis quod Regi meo debeas
Declinationem & *Casus* utriusque *Numeri*
Cum a *Verbo* originem trahas, in fidem suam
Ille te recepit, beneficium quod habuit

Max

Maximum persolvit tibi.
Ne ingrati animi te vaquam arguat, cave.
Part. Plane in dubio est animus, nec certum est quid a-
Nam et *Nominibus*, et *Verbis* multum debeo. (gam
Res hæc est ergo gravis, opus hic consilio.
Ille. Etenim si officium facis nihil loci est consilio.
Meministi *Metium Suffetium* quid meruerit,
Si Neutri parti te adjungis metus est
Ne æqui te dilacerent vindices.
Part. Quid tu ais verbero? pergin' ea que libet dicere?
Ille. Servam me operam sed liberam linguam
Rex meus *Poeta* volvit habere;
Equidem quod res est dico, sed nunc hoc more vivitur
Obsequium amicos veritas odium parit.
Part. *Davus* philosophatur.
Ille. Tu ne philosopheter cave
Si quod ego vaticinor, facis, peris miser.
Part. Ego neutiquam ingenium esse puto, lingua aliud,
Aliud animo gerere; Itaque ut respondeam
Ex animo, id quod res dico ipsa monet,
Ego utrique debeo quod nunquam possum rependere,
Si ab altero stabo apertè in prœlio,
Ab altero damnabor ingrati animi,
Regi tuo elam ero in subsidijs,
Ne qui ingratum dixerit, omnia dixerit.
Ille. Id si vere facis erit Regi meo dignissimum,
Satis habet si te fidum habet, sed per deos cave
Ne ut fallas, ut *Metius* perijt, pereas.
Part. Ego istuc videro, res mea agitur
Fac tu ut laudes hero tuo fidem meam,
Ille. Faciam, tu fac ut præstes fidem.

Actvs, II. Scæna, 3.

Vbique, Participium.

Vbique.

DIj immortales *Participium* ubi nunc inveniam,
Nam omnes plateas circumcursavi,
Per Gymnasia, per Oenopolia
Per ganea, per omnes popinas, per totum forum,
Apud emporium in macella, fui in palestris apud medicos
In tonstrinis (denique ubi rarissime solet) in sacris ædibus;
Reperissem ego sane qui *Vbique* sum si fuisset uspiam,
Nunc ubi quæram, quam insistam viam nescio.

Part. Heus, ehodum *Vbique*.

Vbi. Quis est homo qui me revocat?
Nunquid novum est revocare cum cursum instituero?

Part. Ego sum quem quæris, sta nisi vis perire Furcifer.

Vbi. Quin tu peri, mihi nondum est otium, neque lubet.
Dij te omnes perdant; ubi tu dilituisti? vbi cedo?
Num in Pythagoræ spatio extra cœlum vltimum?
Num in *Plutonis* Tartaro? aut in specu *Trophonij*?
Num in *lymbo Patrum*, aut *Papæ* purgatorio,
Aut in alio ficto loco? in vero non fuisse juraverim.

Part. Mitte quæso nugas, dic quid est quod me velis?

Vbi. Quod te velim literas ad te habeo serias
A Rege meo *Amo*, responsum expecto tuum,
Dum quæro satis diu est, amplius moræ res non patitur.

Part. At interim ne moreris linguam dum lego reprime.

Vbi.

Ubi. Age ergo ne moreris tam mutus quam piscis ero.
Quam ille lente legit: credo numerare literas,
Nam si numerasset, nedum verba, syllabas
Iam pridem percurrisset: quam ægre linguam contines?
Non vivam potius quam non eloquar;
Num satis cogitasti? num deliberasti? quid tandem das consilij?
Par. Quàm vellem inter ipsos Reges (si fieri potest) gratiam
Componere? quàm a cæptis deducere? Non potest
Sine magno malo, & totius Provinciæ
Grammaticæ luctuoso damno hoc bellum geri.
Ubi. De malo nihil ad te attinet, Rex ipse viderit;
Quid de auxilio quod petit responsi refers?
Par. Equidem illi pro officio omnia debeo,
Sed prudenter malo quam violenter consulere.
Ubi. Nihilo plus agis quam si imbrem in cribro geras.
Lateram lavas itaque confestim arma, para,
Et fac nobis Ducem, *Nomini* hostem fortiter præbeas;
Iam præsagit animus certum illius malum,
Rideo ante pugnam dum animo intueor
Mutila, manca, et *Heteroclita Nomina*;
Part. Ego quæ vestra sunt in me merita
Nequeo quin ad vos meas opes, & copias mittam
Ubi. Facis jam quod te decet.
Part. Verum cum multum *Nomini* debeo
Dabitis ergo veniam si aperte in aciem non venero.
Et quam debeam illi extinguam gratiam.
Ubi. Vt lubet, nos de eo non laboramus dummodo
Legiones firmas mittas, et opem fortem feras;
Inter *Neutra Passiva* fac memineris
Ne desint nobis *Prandio*, *Cæno* et ejus generis reliqui,

Qui pane et potu labores prœlij mitigent.
Part. Mittam sane quando ita vis.
Vbiq;. Iam me amas.
Part. Mittam etiam *præteritorum, futurorum, & præsentium Participiorum* centum plaustra; et quia non possunt iter (um. Pedibus facere addã etiã mille camelos *Cõpositorũ, & Simplici-*
Vb. O virum nobilem! Iuxo tibi per dextrã tunicæ manticam
Si nobis contingat victoria te non amplius
Futurum *Participium*: noster totus eris.
Hoccine ergo vis ut nunciem Regi meo? nam propero.
Part. Sane, atque si meo nomine salutem dicas plurimum;
Abij: quid est quod malim quam huic igni addere fomitem
Sed ne sentiant Reges aliud oportet lingua promptum,
Aliud pectore habere clausum.
Nam ea demum est sapientia:
Marte quem non potes arte vincere?
Quod si ex animi sententia acciderit.
Spero fore vt solus *Grammaticæ* ponar imperio.
Promittam vtrique firmas copias.
Mittam neutri, adero in subsidijs.
Si violanda est uspiam propter Regnum violanda est fides.
Sed, Sr. video adventare *Conjunctionem Simul.*
Pergo si hæc audivit homo pacificus.

Actvs, II. Scæna, 4.

Simul. Participium.

Simul. SAlve *Participium.*

Part. Tu quoque sis salvus.

Sim. Factus in tempore obviam mihi,
Vt opportunitas mihi non potuerit opportunius

Part. Quid rei est obsecro?

Sim Est quod te moneam animum si libet advertere.

Part. Libenter equidem.

Sim. Quæ inter Principes ortæ sunt inimicitias
Non ignoras?

Part. Audivi equidem; non solis sibi ipsis
Sed nobis omnibus periculum dabit.
Id te pro tua prudentia arbitror intelligere.

Sim. Intelligo satis, sed insanis quid facies hominibus?
Tuum est pro dignitate tua operam ut parem consilijs dare,
Tuum est nascenti malo ne serpat longius occurrere.

Part. Nihil est facilius dictu; sed quare meum sit, edoce.

Sim. Tu post reges primus es, utrique plurimum
Debes, vterque amant plurimum.
Res communis jam jam agitur
Concordia stat nostra Respublica.
Illorum aker perire solus
Omnes nos peribimus *Simul.*

Part. Est sane quod dicis aliquid, sed non est istue
In manu mea, non sum mei Iuris homo.
Duobus enim ego servio dominis,
Alteri quantum addo tantum detraho,
Nec quidquam possum cum altero agere
Nisi fidem apud alterum violem:
Ad nullum (fateor) magis quam ad me hæc res pertinet
Nulli potest hoc bellum esse miserius;
Nam quisquis illorum, peribit *Simul*
Quicquid illius habeo, quare te rogo
Obnixe, *Simul*, ut aliquem huic rei despicias
Qui authoritate, et gratia apud utrumque valeat,
Neutri debeat quicquam, ego qui utrique debeo
Ad hanc rem nihil possum conferre commodi.
Ego vt rem meam curem hinc abeo
Tu quod facis, *Simul*, fac quæso sedulo.

Actvs, II. Scæna, 5.

Simul solus.

Simul.

NÆ ille parum sapit qui sibi non sapit,
Qui in publicum consulit recte, ille sibi
Simul, et Reipublicæ consulit suæ;
Sed qui sibi seorsum cavet publica negligit,
Cum publico (velit nolit) peribit simul:
Hic fortasse ex hoc dissidio Principum

Montes

Montes ſibi ſtultus pollicetur aureos
Miſer, qui ſuum bonum cum malis jungit publicis.
Quæ vita erit *Participio* in *Grammaticæ* provincia
Abſque *Verbis* & *Nominibus*? ſine quibus
Neque *flecti*, neque in *oratione conſiſtere*,
Neque *ſenſum ordiri*, neque *perficere* ullum poteſt,
Neque quidquam ſapere *Grammaticum*,
Sed regnandi cæca libido non ſinit
Sua mala cernere, dum malis remedium
Adhuc relinquitur; verum ubi medentium
Nanus fugerunt, tum demum — ſed ſero ſapiunt.
Inſanus quiſquis in eadem nave navigans
Ex naufragio ſperet ſibi aliquid boni.
Sed ſurdis cano, nemo eſt in tota Provincia
Grammaticæ (ſi me ſolum excipis)
Qui a pacis non abhorreat artibus;
Alium alia movet neceſſitudo Principum,
Pronomina ſunt in clientela *Nominum*,
Præpoſitiones illorum inſerviunt *Caſibus*,
Adverbia verbis adhærent, *Nominibus*
Interjectiones, infelix *Participium*
In communi luctu ſua ſtatuit ſolatia,
Mihi relinquitur ſoli pacis ſtudium,
In meas utinam poſſem leges conficier,
Equidem meo munere perpulchre fungerer;
Sed hoc miſerum, qui volumus optime
Poſſe minime, et quam velle nihil poſſe aliud,
Adibo tamen Reges, næ meo deſim officio.

Actvs, I. Scæna, 3.

Simul. Poeta.

Simul.

Lites audio ortas, mi *Poeta* ornatissime,
Inter te, et *Verborum* Principem;
Principio tamen ego vos ambos
Hoc mihi credere vehementer velim:
Nam (crede mihi) *Poeta* Rempublicam non curo meam;
Quæ vos tam inconsiderate incessit vecordia?
Quæ vos stimulat ira privata
Ita ut rem non spectetis publicam?
Quid futurum est vobis vitæ si quid alteri
Acciderit humanitus? quem tum in *Oratione* locum
Extincta *verborum* gente habituram putas?
Non vides sublatis *Verbis* etiam sublatum iri *Nomina*?
Sine quibus mutum et mortuum esse *Poetam* quis non videt?
Omnem si projecisti curam, et amorem salutis publicæ,
At saltem privata te tangat res, et decus tuum.

Poet. Quid tu me censes, *Simul*, futilem, et hominem nihili
Adeo esse cæcum, et rerum imperitum
Vt opus sit mihi consilio tuo?
Ego, & mihi, et Rei *Grammaticæ* providero
Etsi te, & tuo caream consilio;
Tu si me quod simulas amas,
Ad provinciam tuam redi, et copias quantam

Tuas

Tuas instrue, est nunc ubi amorem probem tuum.
Sim. Equidem (ut ingenue fatear) homo sum multarum par-
Vtriq; servio, utriq; cupio, & *Verbo*, & *Nomini*; (tium,
Si quid in *Communi* possum, paratus sum consulere,
Alteri non tam cupio bene, ut alteri cupiam male;
Ego *Nomina* si quando est opus, et *Verba* copulo,
Communis servus sum totius *Grammaticæ*, non studeo
Partibus, nisi forte *partium* lites possum componere:
Sed me quæso vide, tacte *Verborum* gentem funditus
Posse perdere; quis relictus rectis tuis transitus
Dic sodes in obliquos quot personarum vinculum
Verborum si perdis, peris ipse; consilium in melius refert,
Sinite quæso ab hac pernicios a deduci sententia.
Poeta. Multum te fallit *Simul*, sed video ut tua pietas est
Bonum esse virum, volo quod habeo
Exponere consilij: ne quid me putes in Rempublicam,
Nihil ego magis esse salvum nec cupio, nec volo;
Non mea salus magis mihi cordi quam totius Prouinciæ,
Totam *Verborum* gentem delere non est consilium,
Tantum volo armis, fame, flamma, et cæteris belli malis.
Eo redigere ut mihi seruiat necessario;
Præterea sunt mihi *Præpositiones* genti meo fidissimæ,
Quarum aliæ *Accusativos*, aliæ *Ablativos* regunt,
Vna etiam in *Genitivos plurales* feratur *Tenus*,
His accedit *Participiorum* natio quæ *casus* mihi
Debet, et *genera*; hæc libenter *Verborum* fungentur munere,
Nonne vides ut jam in *Ablativos* posita
Verbi Subjunctiui omissa vicem *Conjunctionis* suppleant?
Hæc (mihi crede) satis sunt provisa
Tu quæ nostra est Provincia,

Reliqua

Reliqua noſtræ permitte fidei.

Sim. Satis te ſcio eſſe providum; ſed plus vident
Oculi quam oculus; Tu mi *Poeta*, ſi ſapis
Amicos adhibebis in conſilium.
Non tam poteſt facile *Verborum*, & *Nominum*
Familiaritas & conſuetudo divelli,
Sine ſumma pernicie Provinciæ *Grammaticæ*;
Deinde novas leges ſancire, nova cuique munera
Devidere, res eſt tanti laboris, & negotij,
Vt nec dies nec noctes vacuas a laboribus,
Nec liberas ſcis habiturus ad ſomnium, et cibos.
Ad hæc; cum jam tanto labore *Carmina* conficias,
Cum vix ſuppetant quibus *rem* deſcribas ſplendide,
Quid futurum cenſes extincto *Verborum* grege?
Vide quæ tua eſt prudentia quam torquear moleſtijs

Poet. Sunt iſta quidem vera, nec tu mihi vana conſulis
Sed eo progreſſum eſt ut non poſſum ſine dedecore
Pedem referre, id ſi poſſim libenter ſane velim.

Sim. Viſne ergo ut ego cum verbo agam ſi queam
Vllo modo ad æquas et honeſtas leges utrumque flectere.

Poeta. Sane, gratiamque habiturus ſum maximam tibi.

Simul. Merito te ſemper amaui, *Poeta*, & nunc amo pluri-
(mum.

Actvs, II. Scæna, 7.

Simul. Amo.

Simul.

INsanum magnum molior negotium,
Metuoque ut hodie possum emolerier:
Nam ex amore pristino *Amorem* audio versum in odium,
Vt *amoris* nullum retineat vestigium.
Adibo tamen Reges & quod possum experiar.
Amorem summum sum, & *Verborum* Principem
Plurima salute impertit amicus *Simul*.

Amo. Facis quod te decet, *Simul*, sed ubi milites?

Sim. Si me amas quod faustum fœlixque sit tibi,
Et tuo regno, non opus est milite,
Ego et tuus sum & *Poetæ* servus,
Agam in commune quod communem servum decet
Vt consulam: vide quantum incidit mali
Ad vtrumque ex hoc bello, et me pœnitet.

Amo. Quid tibi hanc rem curatio aut mutitio est
Nisi milites et abis quamprimum paras tuos
Mihi in auxilium, frustra rogas.

Sim. Salutem precor tibi ita ut sit mihi,
Nam pessime istuc in te, atque in omnes consulis.

Amo. Quid ais omnium nisi actutum fugis, feres
Infortunium magnum, depexum adeo
Adeoque exornatum reddam ut dum vivas scelus
Hujus loci, dieique, meique semper memineris;
Ego si nescis, *Poetam* amavi pridem,

Nunc

Nunc tantum odi, quam qui maxime ——
Sic fit, ita nunc vivitur, totus ego
Vel amoris, vel odij incendor flammis,
Nihil medij; proin tu nisi perire vis
De pace tace, de *Poeta* silentium.
Sim. Væ misero mihi, væ civibus *Grammaticæ*
Quo me vertam? aut quid nunc faciam?
Nulla nunc reliqua spes est, nullum præsidium
Salutis; de nobis video actum penitus,
Et nostra Republica: sed volo aliquo divertere
Næ tanti sim particeps mali,
Aut tantæ spectator miser miseriæ:
Vtinam falsus, ac mendax inveniar vates,
Ac non tantum nobis impendeat malum;
Si non expectatum aliquod remedium
Interveniat, vos nunc postremum video.
Valete omnes, & meas partes testamini.

Actvs, III. Scæna, I.

Ille, Poeta, Ego Dux. Cis Regina. Pape Dux.

Ille.

POstquam legationem obivi meam
Ad Regem redeo, sed eccum ipsum video;
Regem suum Regum omnium invictissimum
Verborum juratum hostem salvere jubet
Ille servorum omnium observantissimus.
Poet. Gratus ades, *Ille*, adijsti quos volui
Et mandata ad illos pertulisti mea?
Ille. Adij, pertuli, effeci, perfeci; vasa jube
Pura apparari ad rem divinam, tibi cito
Aquam afferri purum, pinguem, & propitium.
Poet. Cur —?
Ille. Vt sacrifices.
Poet. Cui deo?
Ille. Nostro, — umh, umh —
Nam ego nunc sum tibi summus *Iupiter*,
Salus, item lux, gaudium, vita,
Proin para tu; ut hunc deum saturitate facias tuum.
Poet. Esurire mihi videre.
Ille. Mihi esurio non tibi.
Poet. Tuo arbitratu, sed facile patior.
Ille. Sin scias quid boni porrem pingue mihi litares.
Poet. Si quid boni est.

Ille.

Guarna, A.

Ille. Ergo accipe, lætitiam quidem fero,
Adsunt tibi in auxilium copiæ meæ operæ
Quæ hostes fundant, lacerent, dissipent,
Edant si placeant carnes, bibant sanguinem,
Et quod tute maxime cupis, egoque volo,
Te totius Dominum facient *Grammaticæ.*

Poet. Summam voluptatem narras, sed ubi sunt?

Ego. Adsum *Ego* tibi *Poeta* Rex invictissime
Paratus ad omnia quæ mihi imperas
Etenim sum oriundus ex familia
Tua, propinquitatis memor, & officij.

Poet. Laudo constantiam, facis tu quidem quod te decet,
Et quod summa à me mærebitur gratia,
Sed ubi milites?

Ego. Negotium dedi Legatis meis *Tuidem*, & *Suidem*,
Hominibus sanè validis, & fortissimis,
Exercitum ut conscriberent, naves conscenderent
Et huc ad me continuo convocarent sine mora,
Illi imperata faciunt; *Possessiva*, *Gentilia*,
Relativa, *Primativa*, *Derivativa* cum *Articulis*,
Confestim armant, *Numeris*, *Figuris*, *Personis*, & *Casibus*.
Ego interea ad te transcurri de voluntate tua ut cognoscerem.

Poet. Recte feci sti, ad portum abi, & præstolare tuos
Advenientes, in castra ducito, ego mox adero;
Vbi reliqui?

Cis. Etenim vivat Rex *Poeta* meus
Ecce tibi adsum cum meis fidissimis *Amazonibus*,
Næ quid te rerum nostrarum lateat,
Multum me *Verbum* ad partes sollicitavit suas,
Et ut ingenue fatear quod res est, illi debeo

Aliquid

Aliquid, neque ignoras dedisse ut *Verbis* suis præirem,
Et ad multas res signandas ducerem,
Hujus ille à me reposcit mercedem beneficij
Ut illius *Partes* sequerer, & nisi deberem plura
Tibi, paruissem: tu me facis Regni participem tui,
Datque mihi *tribus* præesse *Casibus*,
Non permittam ut me tempus ullum arguat ingrati animi,
Quare ad te adduco viros, vires; opem, opes, fidem, & copias.

Poet. Agnosco quæ dicis vera esse omnia *Cis* fortissima,
Et quos tibi dedi honores eos puto locasse optime.
Quod si nobis fortuna (quod non dubito) faveat,
Honore ame faxo afficiaris, ut mereris, duplici;
Redi in castra, & milites fessos de via refice.

Cis. Faciam.

Poet. Vide, *Ille*, ne quid desit quod *Cis* suis
Putet necessarium, si non supputet sume de meo.
Atque voca ad Tribunal nostrum reliquos,
Ut intelligam universi vires exercitus.

Ille. Heus *Interjectio* ubi tu malum latitas?
Rex te vocat.

Pape. *Hui, hei, hoi, a page!*

Poet. Quid tu gemis?

Pape. *Quia, quorsum* hæc arma pertinerent non video,
Sed *Pape* quid hoc hominis tam splendide ——?
Ut, at, at, Rex meus est *Poeta*, neque provideram
Salve *Poeta Grammaticæ* ornamentum, & decus.

Poet. Et tu salve *Pape* mirandissime,
Scis quid mihi obtigerit?

Pape. Audivi sed miror magis, quam credo;
Pape, pape, pape.

Poet.

Poet. *Amo Verborum* Rex (quem antea
Vt tu bene nosti feci plurimum,)
Mihi hodie in convivio injurias intulit indignissimas,
Statuo ulcisci.

Pape. Euge facis ut virum fortem, & magni animi decet.

Poet. Nosti quid te volo agere?
Vt dolores tuos in hominem mittas.

Pape. Faciam ut cantitent, *hui, hei, hoi,*
Ve miseris nobis; quanta de spe decidimus?

Ille. Et merito, namque efficiemus ut volitent
Ad cœlum brachia, pedes, capita illorum.

Pape. *Ha, ha, he,* dici non potest
Quantum sum risurus tanto spectaculo.

Poet. Redi in castra, & triumphum cane;
Victoria est in manibus.

Pape. *Mars evohe, io* triumphum, *io* triumphum.

Actvs, II. Scæna, 2.

Amo, Ædepol dux, *Vbique.*

Vbiq;.

Evasit sane, & suo tempore;
Nam si præhendissem, docuissem gnaviter
Quid sit triumphum ante victoriam canere.
Amo. Quid nunc agimus socij? unde incipimus?
Ædepol. Nam pugnare certum est.
Vbiq;. Quid, ais, agimus? quid aliud
Quam prandeamus; nam annus est postquam edimus.
Amo. Semper animus tibi in patinis.
Vbiq. Sane, nam libentius nusquam vivitur.
Amo. Apagete cum tua gula, cibi barathrum,
Nos quod venimus agamus; quid consulitis?
An ut ad *Poetam* mittamus, atque prælium
Provocemus, nam certum est de victoria.
Ædepol. Ita me *dij, deæque, superi, inferi, miseri, medeoximi*
Ita me Regina *Iuno*, & *Pallas Iovis* filia.
Ita me *Ops Iovis* mater, & *Saturnus* pater,
Ita me juvant *Neptunus*, & *Pluto* fratres ejusdem *Iovis*,
Ut si *Poeta* comparetur cum viribus tuis nihil est;
Nam quæ sunt superbissima ex *Nominibus*
Tantum habent sex *Singulares* satellites,
Et totidem *Plurales*: præterea bona
Pars militum illius *Verborum* est soboles,
Quæ in Parentes tam ingrata esse non potest
Ut enses stringat in illorum viscera:

12418

At vero cum tuas recenseo copias
Dijs immortales! quam infinita res est!
Imprimis singula *Verba* habent sex *Modos*,
Deinde singuli *Modi* habent quinque *Tempora*,
Tempora autem tres *Personas* in *Numero*
Vtroque, quæ *centum* & *Octaginta* faciunt,
Cum integra illius comparanda Provincia.
Hæc per verba ducantur singuli,
Hui nulli comparanda cum tuis
Nec fruges consumere, nati numeris in belli sumus
Activorum verborum gens fortissimâ est,
Et *Passivorum* etiam natio multa potest,
Frigoris & inediæ juxta patiens,
Quæ est fortissimorum *Verborum* & militum
Prima laus.

Vbi. Sunt hæc dux inclinite verissima
Neque enim sive vires spectes, sive numerum,
Sunt ulla arma comparanda cum tuis;
Habes præter hos quos ille recensuit ingentes
Cimbrorum & *Saxonum* copias,
Virorum fortissimorum quas ego genui
Ex mea conjuge *Nusquam*, *Vbiquitarios*
Vocant, gentem sane bellicocissimam;
In lecto qui putant indecorum mori,
In armis vero occumbere splendidissimum
Horum *Angliam* alteri occuparunt,
Alteri *Romanos* ausi sunt invadere antiquitus.

Ædepol. Castor, ecastor, hercule, me hercule, pol, ædepol,
Oportet valde mirandos esse homines
Qui *Nusquam* & *Vbique* parentes habent.

Amo

Amo. Placet ergo ut Legatum mittamus aliquem
Qui quid habeamus animi nunciet,
Bellumque toti genti indicat *Nominum.*
Ædepol. Deus fidius, medius fidius: nullum consilium
Potest certius, aut ad honorem, & decus
Splendidius dari.
Amo. Eamus igitur & videamus intus qui sit maximè
Ad hoc munus, & officium idoneus.

Actvs, III. Scæna, 3.

Soliciſmus, Barbariſmus, Trauliſmus, Cacatonus Grammaticæ Peſtes.

Soliciſmus.

NVnc nos licemus per Regnum diſſideas
Liberaliter quodcunque venit in os loquere,
Ego nunquam curavit floccos *Grammaticales* regulas
Sed ego accepit de ſeverus *Priſcianus* bonus remedium
Quia ille vapulavit me millies in Scholam
Ego nunc inter ſodalibus meis frangam illum caput
Tam tuber ego feciſti quam fungus eſt.
Barbariſm. Ego certe bonum remedium de illo accipiam
Nam ille nimis curioſus pro me fuit ſemper,
Nam quamvis ego ſemper loquebar congrue
Tamen vapulavit me in ſchola
Quia dixit me loqui barbarè,
Iam quia regnum ejus eſt perfectum gaudio.

Cacaton. Læ-ti-tia certe eſt in cordibis meis
Quando vĩdẽbo illius ſangũinere caput
Tantum quantum ille fecit ſangũinẽre nates meas.
Trauliſm. Væ, væ illis pediculoſis *Grammaticis*
Nos illam illorum Provincia de-pediculabimus
Vt nihil poſthac habeant quod edant niſi pediculos
Qui nos hactenus ederunt habeant
Væ, væ illis pediculoſis *Grammaticis.*

ACTVS, III. SCÆNA, 4.

Amo, Sodes Legatus.

Amo.

NOn eſt tibi ignotum quod omnium aures, & animos
Iam diu occupavit, quibus me *Poeta*
Convitijs inceſſerit in convivio modò;
Næ eam inultam feram contumeliam
Ad Senatum retuli, ijs viſum; ferro, fame,
Flamma vindictam de homine fortiter expectem;
Tu qui natus es ad provocandum ingenio,
Viſus es nobis ad hanc legationem obeundam
Maxime idoneus.
Sodes. Tu ſi jubes, ego illius nil mẽtuo furores
Amo. Equidem volo & jubeo, *Sodes*;
Tu me ſequere ut intus mandata accipias.

ACTVS, III

Actvs, III. Scæna, 5.

Simul, Sodes.

Simul.

O Infœlix hoc ſæculum, ô ætatem miſeram,
O inſanos homines! O cæcos ſui mali!
Quæ iſtos agunt intemperatæ intemperiæ?
Quo ferunt infernales furioſæ furiæ?
Quo ruunt in ſuam perciniem præcipites?
Quantos in ſuos moliuntur montes mali?
Verborum gentem vult delere *Nominum* furor,
Nominum nationem vult extinguere *Verborum* amentia,
Ac ſi ſublatis *Verbis* regnare poſſunt *Nomina*.
Aut potiri rerum *Verba* ſublatis *Nominibus*,
Ac non amore vivant moriantur diſcordia;
Quis rerum tam imperitus eſt,
Quis tam cæcus eſt qui neſcit
Sine *Verbis* non poſſe in ſe *Nomina* tranſire?
Verba eſſe nuda niſi adhæreant *Nominibus*?
Ex meris *Verbis* nulla *oratio*,
Ex *Nominibus* meris nullus *ſenſus*;
Sed ex mutua conſuetudine,
Ex horum concordia, & amplexu mutuo
Omnis *orationis* plane plena complexio.
Non eſt, (quam iſti inceptant ſtulti,) pugna nova,
Audiviſſe memini veterem ex Majoribus
Hanc fuiſſe contentionem, ſed de conſilio
Prudentium; num res ſpectaret ad arma compoſitam
Litem fuiſſe & conventum in has perpetuas leges

12418

Vt recti *Nominum*, *Verborum*, *Perſona*, & *Numero*
Præeſſent, & *Verba* obliquos *Nominum* Caſus regerent,
Verbum in ſuos *infinitos*: *Nomen* tranſiret in ſuos
Genitivos: ut *partes* reliquæ ad hæc
His ſervitent duobus, hæc ad hunc manſerunt diem
Nunc ſtulti iſti ad eoſdem relabuntur ſcopulos,
Ad idem impingunt ſaxum, nec veris obtemperant
Conſilijs; ſe mutuis vulneribus
Eunt perditium; nec ſe patiuntur corrigi
Sodes. Deus bone! quam intus variatum eſt conſilijs;
Alius cenſet non mittendum eſſe belli nuncium,
Alius inhoneſtum invadere imprudentem,
Alius mittendum, & æternum *Poetæ* ſilentium indicendum,
Alius non perdendam eſſe artem *Poeticam*,
Quid omnes referam vobis ſententias?
Videtur verum quod vulgo dicitur
Tot ſententiæ quot homines, tot ſenſus quot capita,
In hoc unum omnes una voce congruunt,
Domandam eſſe bello *Nominis* ſuperbiam,
Et mihi tandem dant negotium ut bellum denunciem
Simul. Heu, heu, heu quo me vertam
Aut quid inceptem conſilij,
Heus, heus, *Sodes*, quo tantopere properas?
Sodes. Quo me miſit Rex meus, & Dominus,
Vt atrox bellum indicam *Nomini*.
Simul. Noli, mi *Sodes*, ſi me amas facere.
Sodes. Egone ut Domino meo non paream?
Simul. At charior tibi debet eſſe Reſpublica,
Corrigendus Dominus rectis conſilijs.
Sodes. Tu qui ſapis, eis conſule; certum eſt mihi

Authoritatem Domini non defugere.
Simul. Heu perit res, heu perit penitus,
Hic neque consilij, neque auxilij ulla est copia,
Restant quatuor exorandi *Grammaticæ* judices,
Priscianus Linacrus, Despauterius, & Lilius,
Res illorum agitur, ad hos provocare certum est,
Si quid adhuc authoritatis relinguitur.

Actvs, IIII. Scæna, I.

Sodes, Poeta, Ille.

Sodes.

HÆc opinor sunt castra *Nominum*
Adeo ne hominem furiosum? sed eccum ipsum video
Nihil quidquam opportunius accidit;
Amantissimus suorum Rex meus Amo,
Et tuus infestissimus dux, atque Imperator,
Belli invictissimus, hæres indubitatus,
Et Rex totius Grammaticæ.
Poetæ Nominum *tyranno pessimo*
Pro pristina salute mittit ferrum,
Famem, Flammam, pestemque pessimam.
Ille. Nugæ sunt quas blattis, nec quidquam terroris afferunt
Poet. Quis tu es qui audes nos lacessere.
Sodes: *Sodes* sum de Gente *Adverborum.*
Qui te, *Sodes, Sodes,* provoco.
Poeta. *Hanocine verbosa nobis de gente salutem*
Mittit Amo? *tantine putat sua verbula pendi?*

Verba *movent timidos nec fortia pectora terrent,*
At nos pro Verbis *illi ferrumque, famemque*
Mittimus, & flammam, vel siquam forte salutem;
Cerberus *eximia dicat* Phlegetonte, *vel* atris
Horrescens Hecate *colubris, vel quicquid* Avernus
Incolit horrendum, squallens, deforme, cruentum,
Hanc putat ex animo nos nos dixisse salutem.

Ille. Sodes, cape hanc salutem & refer tuis,
Insanum hominem incendisti furore *Poetico.*

Sodes. Imo relinquo vobis vos, quam peperistis tollite.

Ille. Nunquid valet Rex tuus *Amo?*

Sodes. Invitis vobis rectissime valet.

Ille. At infortunium ab amico dicas volo.

Sodes. Fortuna favet illi ut tu pendeas,
Et tui pereant, neque salutem
Moratur vestram quibus est daturus *Tartarum.*

Ille. At tu malè vale ——, o mi *Sodes.*

Sodes. Et tu mi *Ille* de male peri.

Actvs, IIII. Scæna, 2.

Ille, Poeta, Cis, Ego, Pape.

Poeta.

VIdetis commilitones fortissimi
Quam indignis *Amo* me lacessit modis,
Vnum tantum relinquitur ut quantum possumus
Accingamur ad prœlium; nunquid placet?

Ille

Ille. Nunquid placet? num tu de eorum adhuc
Dubitas voluntate, turpe fuisset non progredi,
Progressum pedem referre, turpissimum:
Equidem æternam famem malim meis faucibus,
(Quod ego malum malorum omnium maxime metuo)
Quam te in te, & tuos tantum admittere dedecus
Cis. Quin tu (de nobis nil prorsus dubita)
Audi, & certam tibi pollicere victoriam,
Ego. Audi, mi *Poeta*, jam opus est viribus, non consilijs.
Pape. Tu mi Rex si tantum audes, ego doloribus
Omnes tibi hostes tuos conficiam
Mittam in eos, *heu, hei, hai, frange cordios.*
Poet. Næ ego metuo, neque de vestra voluntate
Dubito, aut nostris viribus, ergo tu *Cis*
Cum tuis *Amazonibus* in dextro cornu curabis,
In lævo *Egonides*,
Pape cum suis *doloribus* agmen medium
Tenebit, ut terrorem hostibus injiciat
Non parvum; ego in secunda acie curabo,
Ille cum *Adjectivis* erit in præsidijs,
Sed miror non adesse *Participium*,
Cum venerit *Ille* cum præsidio jungite.
Nunc commilitones oratione non est opus
Vt vos animem; omnis spes est in manibus,
In pedibus infamia; & turpe dedecus.
Mementote cum *Verbis* esse prælium
Vobis, quæ non virorum, verum mulierum
Sunt arma; vos *Verba* in fugam *verberibus*
Vertite; hoc unum facere memineritis
In fuga plus esse, quam in prælio periculi;

Pugnate ergo fortiter, hostes fundite,
Pellite, vertite, fugate, vincite,
Speculator, *Ille*, quid rerum gerant
Nos interea instruemus aciem.

Actvs, IIII. Scæna, 3.

Vbique, Ille.

Ille.

QVis hic homo qui nobis venit obviam
Si non incerti me valde fallunt oculi,
Vbique est, mei juris atque loci,
Qui semel pransus est duo jugera tritici,
Sex dolia vini, duos boves, decem oves,
Præter Gallinarum, Perdicum, palumbarum
Coturnicum ingentem gregem,
Vbiq;. *Illidem* ne video parasitum *Nominis*?
Ipse est adibo, adibo hominem; salve Barathrum,
Ciborum, ferculorum totorum heluo,
Ille. Et tu jurate *Bacchi* hostis & *Cereris*
Male peri quando nos una mensa non capit.
Vbiq. Haud male salutem dices sed tu perí potius
Si quidem pereundum est alteri,
Ego tecum non possum valere amplius,
Sequar ad interitum. Nunquid esuris?
Ille. Quid rogas?
Vbiq. Numnam fame perire cupis?
Ille. Malo saturitate.

Vbique.

Vbiq. Credo; ſed fame perit potius
Quiſquis *Poetæ* ſervit famelico.
Ille. Quid qui amatori miſero? ſed quid agitur apud vos?
Vbique. Focus ſtruitur quinque millia longus,
Latus verò decem ſtadia, non amplius.
Ille. Tu quid ais? in quem uſum?
Vbique. Ad coquendum quicquid terreſtrium,
Volatilium, aquatilium genus *Nominum* alit.
Ille. Cui ventri?
Vbique. Noſtro.
Ille. Credo, nam quam ſit capax venter tibi
Iam totos decem annos ſcio.
Sed heus tu; quid nobis relinquitis?
Vbique. Famem.
Ille. Hui tantum famem; cænam narras miſeram.
Vbiq. Si quamvis miſeriorem habes coquum paratum,
Condum, & Oeconomum etiam.
Ille. Habeo gratiam: debeo ſane tibi
Et quod grati primum eſt argumentum animi,
Dabo quam poſſum operam ut rependam breviſſime,
Sed heus, *Vbiq;*, quid capitis conſilij?
Delere nos miſeros vultis funditus?
Vbiq. Funditus —— ut nullum veſtigium *Nominum*
Linquamus, nam nihil aliud eſtis quam *Nomina*;
Nos vero, vobis extinctis, fingemus nova
Alia quæ nobis pariant æternum decus.
Ille. Contra naturam mihi ſapere videmini,
Nam ſublata *Poeta* quis *amores* canat?
Aut quis *amore* amicam placet, aut tollat laudibus?
Vbique. Nos id videbimus, id veſtra nihil refert.

Ille.

Ille. Videte etiam ne nequiequam, & sero pæniteat.
Nam multa facimus temere
Quæ infecta esse volumus,
Quando infecta esse possunt nullo modo.
Vbi. Vos mortuos nunquam quando nos volumus vivere.
Ille. At nos vivimus adhuc, vobisque mortuis,
Vivemus, facilius est *Nomini* sine *verbo*
Quam *Verbo* sine *Nomine* vivere;
Habemus firmas copias, Regem invicti animi
Qui *amatorem* non pluris quam muscam facit
Ego te, *Vbique*, breyi nusquam fecero.
Vbi. Magnifica vero vox!
Ille. *Verba* linquimus nos *Verbis*,
Vos datis *verba* nos autem *Verbera*.
Vbi. *Passiva* scilicet.
Ille. *Activa* senties.
Vbi. Heus, heus, *Ille*, vnum te volo.
Ille. Dic quid est?
Vbi. Abi cito & suspende te næ pæreas in prælio.
Ille. Non vacat mihi, neque convenit ad eam operam
Vacat tibi & tuo hero, habetis paratum carnificem.

Actvs, IIII. Scæna, 4.

Amo, Ædepol, Vbique.

Amo.

NOn me latet milites *Verba* virtutem non addere,
Neque *Oratione* fieri fortes quos natura genuit timidos,
Sed de virtute vestra nihil dubito,
Ea mihi spectata est satis, jamdiu scio
Quam fortes & fidi sitis; de vestris ut dicam hostibus
Diversa est ex diversis gentibus hominum turba;
Ex *Nominibus* vanis, *Interjectionibus* tumidis,
Præpositionibus timidis, & *Conjunctionibus* inanibus,
Animis inter se incertis, & voluntate ambigua,
Vos è contra unius gentis Cives quibus idem est utile,
Et inutile, quibus vita, & mors communis,
Patria una, unus Imperator, periculum unum,
At unam oporteat esse voluntatem, vnam ad pericula
Ferenda, superandaque alacritatem semper in prælijs,
Metus, periculum, audacia salutem fert, pergite:
Atque imbelles hostes servos vestros qui in Dominos
Arma capiunt scelerata sternite, fundite.
Vultum vestrum mihi credite nunquam ferent;
Gloria, victoria, res & spes sita sunt in manibus,
Audenti decus, timenti proponit dedecus.

Ædepol. Ita me *Castor* & *Pollux*, ita *Iuno* servet, & *Iupiter*.
Vt ego hodie *Nominum* manipulos
Fugabo ad *Tartarum* & in *Cocyto*
Flumine submergam miseros.

Vbique.

Vbi. De nobis jubeo esse securũ, junge mihi *Edo* servum tuũ,
Tibiq; *Nominum* turmas omnes solus edam.
Amo. Novi equidem virtutem satis,
Tu *Ædepol* instrue aciem,
Vide tu, *Vbique*, quid hostes rerum gerant;
Ego post principium signum dabo omnibus.

Actvs, IIII. Scæna, 5.

Vbique, Edo, Sum, Ille.

Vbiq;:

HAud stulte sapit quisquis ante cavet quam doleat,
Nam nos satis periculis objicimur
Solis tam longe ante Legiones; si quid mali
Nobis acciderit: nescis quantum Respublica
Damni ferat, extincta si *Edendi* facultate perimus fame
Et me sublato perit etiam
Qui tibi fidelem navet operam.
Edo. Provide: sane ego mihi videro,
Tu si libet solus peri;
Sed heus; unum est neglectum nimis à nobis,
Sumus hic soli sine viatico, periculum
Ne hic in montibus pereamus fame.
Vbiq. Istuc nihil est pericli, huic ego malo
Subveni satis, nunquam sum ventris tam negligens,
Meo satis habeo ventri quod sufficiat,
Tibi qui nihil aliud facis quam *Edis*
Nunquam deest quod *Edas*;

Sc

Sed heus tu vide quam sum condus optimus.
Edo. Et promus etiam.
Vbiq. Promo mihi non tibi,
Tu me quam scite *Edam* vide.
Edo. Vtrique id sufficerit me si non permittas
Simul edere fugere ne quod edam.
Sed quid hoc hominis qui fugit ab exercitu?
Heus tu bone Vir quis tu es?
Dic mihi quo fugis à prœlio?
Sum. Ego *Sum* si nescis, Ego *Sum* ——
Nil pudet *Nomen* profiteri meum,
Sed tu qui non aliud facis
Quam *Edis*, quid tibi mecum?
Aut cur tibi respondeam quorsum abeam?
Vbiq. Quia sic libitum est aut responde, aut morere.
Sum. Næ *Hercules* quidam contra duos,
Malo respondere bis quam mori semel,
Magna mihi affinitas cum *Nominibus Substantivis*,
His subsum solis, nec his sublatis
Est quidquam cui subsum aliud;
Ego hæc & me perire simul
Non possum pati ideo fugio,
In commune ut liberius consulam.
Vbiq. Quid ais omnium ——?
Tibi id licere impune putas?
Sum. Si quid est quod dem vobis,
Finite ad *Substantiva* ut transeam,
Et quod *Edatis* abunde dabo.
Vbiq. Tu ut *Substantiva* des nobis, Transfuga,
Dentibus quæ sunt destinata nostris.

Ille.

Ille. Quid hominum? quid hoc?
Paratæ mensæ? præda hæc destinata est mihi
Vos *substantiva* esuriteſt, ego hæc interea edam.
Vbi. Tu, *Edo*, serva hunc magna cum diligentia,
Liber captivus avis fere consimilis est,
Semel fugiendi si data fuerit occasio
Satis erit, nunquam post illam possis prendere.
Sum. Si non est quod dem vobis,
Mene vis ut dem ipse in pedes.
Edo. Si dederis erit ex-templo mihi quod dem tibi.
Sum. Avis me fere consimilem faciam.
Edo. Ita ut dicis, nam si faxis te in caveam dabo.
Sum. Satis est *Verborum* quid vultis me inanem dare?
Quid vis malo quam perire.
Edo. Sine me pretium hoc ferre,
Vbi homo est; Socius est;
Vbi. Sino.
Edo. Quia es inanis, neque alteri quod des habes,
Quid mihi de tuo liberaliter largiri liber.
Sum. Ego tibi *Præsentis Indicativi* mei largiar
Tres personas, es, est, estis; *Imperativi* duas
Formas, es, esto; este estote;
Secundi modi *Subjunctivi Imperfectum* totum,
Vt pro *ederem* & cæteris,
Dicas impunè *essem*, *esses* & cætera.
Edo. Adde *Infinitivum*, *Esse*, & liber esto
Sum. Addo, vale; mementote jam id quod ego dedi
Nihilominus esse meum.
Vbiq. Heu mensa vacua est per imus miserè miseri,
Quid hoc (malum) rei est quod nos odio perdiderit.

Ed

Edo. Miror sane nemo hic fuit,
Sed quis cibi venter tam capax
Qui tantum tam cito consumerit?
Vbiq. Actum est de me hodie, sed potesne drachmam
Vnam mihi dare quam cras tibi reddam?
Edo. Vix hercle opinor si me opponam pignori
Sed quid de drachma facere vis?
Vbiq. Restem volo emerem.
Edo. Quamobrem?
Vbiq. Qua me faciam penitem.
Certum est de me jam supplicium sumere,
Qui tantum bolum emiserim è faucibus,
Hoc flagitium non me sinam ut impune feram,
Edo. Quis mihi drachmam reddet si dederim?
Tu si ita certum est per me pende, & peri,
Egone drachma mihi simul pereat cavero,
Iam ventum est in verum periculum famis
Ego ad meos redeo.
Vbiq. Et ego me suspendam paululum,
Saltem dum hæc á me abscedit ægrimonia.

Actvs, IIII. Scæna, 6.

Simul, Priscianus.

Simul.

AD te venio spem, salutem, consilium, auxilium, expetens;
Pris. Neque pol consilij locum, habeo, neque auxilij (copiam,
Sed istud quidnam est?

Sim. Nisi tu & Collegæ succurritis
Actum est de *Grammatica.*
Pris. Quid ais de *Grammatica?*
Sim. De *Grammatica* dico ——
Tantæ tempestates litium
Ortæ sunt subito inter *Poetam*, & *Amo:*
Vt nil nisi de bello cogitent
Et moliantur interitum alter alterius,
Ego ut gratiam restituerem feci officium,
Mea tam parum potuit apud illos oratio,
Vt jam ventum ad manus putem.
Pris. Me miserum quid ego audio? nunquid verum prædicis?
Sim. Verum prædico, & ipse audivi quod dixi singulis
Sed surdis cecini, laterem lavi, *Poeta* erit æquior,
Amo mihi minatus malum.
Pris. Perimus penitus,
Sed cur cesso collegas convocare meos
Vt huic subito subveniamus malo.

Actvs, V. Scæna, I.

Priscianus, Linacrus, Despauterius, Lilius, Simul.

Pris. HEus *Linacre* te, & te *Despuuteri*, & te *Lilie* volo;
Vestra interest, vestra res agitur; nunquid
Audivistis istius? ad me venit *Simul*
Vir probus, & prudens, & rei *Grammaticæ* amans,

Is ait inter verbum, & *Nomen* simultates maximas
Recens natas quæ *Grammaticam* pessumdabunt,
Nisi nos maturo occurramus malo,
Feciſſe ſe officium, adijſſe ſingulis
Compellaſse, monuiſſe, oraſſe ut meminerint
Quorſum pertinerent arma civilia,
Ait ſe non magis commoviſſe illos
Quam ſi eſſent lapides,
Rem ſpectare ad prælium,
Iam ventum eſt ad manus.
Metuendum eſt ne ſuccurramus ſero nimis.
Linac. Itane decipiunt? itane deſæviunt Principes?
Eòne proceſſerunt vecordiæ uno ut perdant
Tot ſæculorum labores?
Deſp. Pereant illi potius.
Linac. Quid eſt, *Simul?* unde orta eſt hæc contentio?
Sim. Ex Vino nata eſt unde omnia fere mala,
Neque *Bacchæ* bacchantur *Bacchanalibus*
Furioſius, quam iſti de Principatu inter cyathos
Rixabantur, & poſt cyathos digladiabantur.
Verbum ſummum, *Nomen* ſummum eſſe *Orationis* imperium
Aſſerebant; ſed lentioribus ſtudijs
Verbum contendit pendere à ſe *Nomina*,
Nomen Verba à *Nominativis* ſuis;
Hinc ad jurgia ventum eſt: inde ad convitia
Et quæcunque mala ira, atque offenſus animus
In eos ſolet quibus ſuccenſet vomere;
Tandem diſceſſum, & ſæva omnia alter alteri
Minaretur: intentarentque interitum
Alter alterius, poſt illa nihil pro ſanis egerunt;

go imprimis *Poetam* adij,
t eo tandem rem totum perpuli,
t sibi suisque prospiceret laboribus,
mo vero nihil audiebat æqui,
Nihil nisi sanguinem, cædemque sperabat,
t mihi omnia ni tacerem mala
dinatus est male.

Lil. Hoc gliscit, hoc jam serpit latius malum,
Nisi mature occurramus perimus funditus,
Quid censetis? quid primum faciemus fratres?

Pris. In summis periculis summo opus est consilio,
Deliberandum est diu quod statuendum est semel.
Ubi corrigendum minima copia
bi precandi maxima libertas;
Periculum toti *Grammaticæ* imminet Provinciæ,
d cavendum ne accersamus dum nitimur
Amoliri malum, qui non prudenter consulit
æpe incurrit imprudens in contrarium,
Et demandatum nobis a *Mercurio*
Literarum & linguarum Præside
Non *Grammaticæ* imperium, sed judicium;
Esse Iudices jussit litium omnium,
Aliena reddere dominis, suum cuique;
Non sunt nobis Arma, aut opes
Quibus rebelles rigamus in ordinem;
Duo relicta sunt tantum remedia
Primum si nobis recta consulentibus
Parere sua sponte sine vi velint,
Alterum si id nequimus ut *Mercurium*
Accersamus qui hanc nobis dedit Provinciam;

Lil.

Desp. Sapienter tu quidem *Linacre*, ut omnia;
Primum de nobis faciemus periculum.
Vt non defuisse *Mercurius* videat
Nos officio nostro.
Lil. Recte consulitis, eamus, & Præcones
Mittamus cito qui imperata ad eos
Intrepide faciant.

ACTVS, V. SCÆNA, 2.

Quamvis, Tamen, Præcones.

Quam. ATrox sane adimus periculum
Metuendum male à malis,
Qui in se sæviunt nequeunt nobis parcere.
Tam. Si Principis iram timent, nobis
Nullam audent iniuriam intentare,
Si non timent sortis est perire,
Vt pareas ei cui non parere
Summum est flagitium.
Qui principi paret suo fœlix si vitat malum,
Fœlix etiam quamvis impingat malo,
Illum Fort una; Fides hunc commendat posteris.
Quamv. Ascendamus, suggestim tu ex scriptis recita
Mandata Iudicum, ego magnis lateribus
Quæ tu subijcias aurito decantabo populo
Oies, Oies, Oies ——
Audite mandata quæ ferimus

Mercurius, Iovis *summi filius*, *Deorum munere*
Eloquentiæ, *& Artium deus*, Verbo, *&* Nomini,
Grammaticæ *satrapis salutem.*
Quando nobis data Grammaticæ *provincia fuit*,
Totam divisimus in Octo partes,
Ad tollendum discordiæ semina.
Pax in principio quam volumus
Aliquamdiu stetit.
Tandem cæptum (*quæ est ingeniorum dissentio*,
Studentium sibi non Reipublicæ) *de jure Partium*
Queri; *nos ad illam accersiti controversiam*,
Res quia esset multiplex, *& nobis abesse à consilio*
Deorum non licuit; *peritos dedimus judices*
Qui de litibus illis cognoscerent, *atque suis*
Sententijs in æternum regerent, Priscianum,
Linacrum, Despauterium, Lilium,
Qui Consiliis totum illud extinguerent incendium,
Nunc iterum audimus in majores flammas erumpere;
Insurgere Nomen *in* Verbum,
Verbumque *in* Nomen *acerbis odijs*
De principatu contendere Grammaticæ;
Et interitum alterius alterum moliri,
Quare præcipimus ut nostro Edicto audito,
Qui Grammatices *incolunt fines*
Ab armis omnes statim discedant,
Et ad judices omnes suas lites referant
Et controversias, *qui secus faxit*
Aqua, *& igne interdicimus* Grammaticæ,
Nomini *&* verbo *seorsum præcipimus*
Ut se statim sistant ad Tribunal judicum,

Vt se suaque illis omnia permittant,
Si non pareant nos expectent
Contumaciæ suæ severos vindices.

Vivat Rex.

Actvs, V. Scæna, 3.

Amo, Ædeqol, Vbique, Simul.

Amo.

AVditis populares mandata *Mercurij*,
Hoc me persequi non licet odium.
Nefas *Mercurio* nobis resistere;
Ille Dominus, ille Imperator Provinciæ
Nostræ, illi parendum, si volumus esse aliquid;
Et cum nunc rem mecum altius reputo
Stulte à nobis actum est, solus *Simul* sapuit.
Ille mihi verum decantavit,
Si vero essent patulæ aures mihi,
Nunc fidum sprevisse consilium
Post miseram meorum cladem pœnitet.
Nunc certum est parere Imperio,
Et Iudicum sententijs me submittere
Ah vehemens in utramque partem fui
Semper ego aut nimio amore, aut odio feror
Vos omnia ponite, & mecum ad iter accingimini.

Actvs, V. Scæna, 4.

Fors, Poeta, Ego.

Fors. HEm *Poeta* dum tuas partes sequimur,
Quo redacti sumus cum Fortuna,
Vt præter *Nominativum* & *Ablat:* supersit nihil?
Quid vulgo putas accidisse *Nominibus?*
Poet. Rem perditam nostram, & afflictam graviter video,
Siccine miseros à tam miseris nos perire hostibus?
Convocate manipulos, redintegrate prœlium,
Aciem instruite, classicum canite, hostes fundite,
Non redibo, eum vincam, aut peream;
Quid est reliquum fortunæ?
Ego. Ne pergas mi Rex moneo, qui ex prælio
Nos recipimus, ad forensem lapidem,
Præcones forte cernimus, occurrimus, nam confluxerat
Eo turba hominum; ibi voce maxima
Quamvis & *Tamen* edicunt verbis *Mercurij*
Vt omnes discedant ab armis, citant
Ad tribunal Iudicum te, & *Amonem*, suis
Amo edixit ut armis positis
Se ad Iudices sequerentur,
Tibi cavendum sedulo ne Iudicum animos
Occupet homo ad favorem & gratiam natus,
Et in tuum caput hanc fabam cudat,
Tuque me immerito damnaveris.
Poet. Quid ego audio?
Ille ne ut animos Iudicum occupet,
Sequimini ut nostram defendamus innocentiam.

Actvs, V. Scæna, 5.

Priſcianus, Linacrus, Deſpauterius, Lilius, Fors, Poeta, Amo.

Priſcianus.

Fors, quia cladem te accepiſſe video.
Dic *Nominum* & *Verborum* cladem.
Nam quæ fortunæ perpetuo comes es
Omnium te fortunas noſce eſt neceſſe.

Fors. Faciam libenter, Iudex honorande;
Adjunctis mihi ſociorum turmis aliquot,
Ipſe prodeo ante data ſigna
Vt lævi prælio tentarem hoſtes;
Erat in æquo campo pugnæ locus,
A dextris fuit foſſa, lapicidinam eſſe puto,
In ea furtim hoſtes ſex cohortes occultaverant,
Nos prætergreſſi involamus in obvios,
Illi ut erant viribus, & numero pares
Fortiter impetum noſtrum ſuſtinuere;
Interea qui in inſidijs erant à tergo nos adorti
Metum injecerunt non parvum, alij trepidare,
Alij fugam cogitare re ſubita percuſſi;
Ego omnes circumire, appellare ſingulos,
In fuga dividere ſe in duas acies,
Vt meminerint priſtinæ virtutis, plus eſſe periculi
Vtriuſque agminis impetum acciperent fortiter,
Illi imperata faciunt, atrox pugna utrinque fuit,
Virtute, & vi pro ſe quiſque nititur,

Fertur fert; pellit, pellitur; occidit occiditur,
Hic clamat gemit, Ille vitam exhalans ultimam,
Ego omnes circumvolo, undique propero,
Omnibus dum adsum absum mihi,
Cunctosque perdo meos *casus*
Præter *Nominativum* & *Ablativum* qui se clam è periculo
Surripuere, item *sponte* dum paratius, *impetu*
Violentius, *astu* callidius, *jussu* imperio sius,
Permissu negligentius; *promptu*, *noctu*, *natu*, *diu*,
Item *prece* dum precatur, opitulatur *Opis*,
Succurrit vice *Nominativum*, *Vocativum*, *Dativum*, misere.
Amittunt *Singulares suppetiæ*, etiam *suppetias*
Ferunt suis, reliqua perdunt! *Inficias* vero
Ne verbum *Eo* in fidem recepisset suam penitus perijsset;
Tandem utriusque labore, & certamine
Fatigatos ad suos reditur *Poeta*; *nil*, & *Nihil*,
Fas, & *nefas*, *Nomina* in *u*, & *i*, *numeros*
A tribus ad centum perpetuo damnavit *casuum*,
Varietate obcessationem in pugna hæc in prælio
Illo misero tandem *Poeta* universas copias
Promovet, hoc idem hostis ferox facit
Ventumque ad manus ultimas est
Magna utrinque fit perturbatio,
Ingens strepitus fuit undique,
Rauci clangor æris æthera verberat
Virorum clamor, armorum fragor,
Æquorum fremitus, curruum stridor,
Boat cœlum, remugit tellus, gemit,
Recussum duplicant montes sonum.
Nomina quæ in prima acie steterunt

Aut

Aut dum inſtant *Singularem*, aut dum fugiunt
In quibus *Leguminum* & *Metallorum* Nomina.
Et quæcunq; *Modio* aut *Pondere* metimur,
Subſtantiva ab *Adjectivis*
Et *Propria* fere omnia, plurima ne fuerint
Pluralem à miſerunt *Numerum*.
Magnus ſit undiq; clamor, diſcordia magna,
Genitivos, *Dativos* & *Ablativos plurales*
Declinatio quinta perdidit omnino,
Præter *rem*, faciem, ſpeciem aciemq; diem:
Nec *Verborum* clades minor; *præteritum*
Perfectum, ejuſque totam ſobolem
Paſſiva perdidere *Neutra*
Ut *doleo*, *valeo*, *ſedeo*;
Voce in *r* privata ſunt, *Vergo*, *gliſco*, *fatiſco*, *ambigo*;
Polleo, *nideo* cum incæptivis in *ſco*; *præteritum*
Perdidere vocem in *O deponentia*
Et *Communia*,
Verbum item *Facio* quo non eſt aliud
Magis *Activum*, *Paſſivum* perdidit:
Impersonalia multa ſunt facta
Amiſſis præter *tertiam Perſonis* omnibus,
Tertius Modus nimio imperandi ſtudio
Præter *Futurum* reliqua perdidit *Tempora*,
Hæc ſummatim; ſi ſingula ſingulorum recenſeam
Damna, dies me prius deficerit quam oratio.

Lil. O inſegnem dementiam! O inſanam vecordiam!
O Flagitium non ferendum! quid Collegæ facimus?
Siccine ſceleratos homines Rempublicam perdere?
Siccine ſudores, & labores noſtros corrumpere?

Linac.

Linac. Iram compesce *Despauteri*, meo magis obest judicio,
Est hoc (fateor) grave peccatum,
Sed non corrigitur furore furor,
Nobis videndum nedum malo
Occurramus, incurramus in malum
Tu ergo *Amo* quæ te dementia, & insania
Eo perpulit ut rem tuam sic affligeres?
Amo. Peccatum à me graviter, ego me, meaque omnia
Vestris submitto sententijs,
De me & in me quod libet statuite,
Ego ut possum libenter feram.
Desp. Mereris sane grave supplicium, do sane gravissimum.
Linac. Satis res per se habet supplicij, uterque stultitiæ
Suæ penas luit acerbas satis,
Poetam audio fuisse mitiorem.
Poet. Peccatum a me quoque fateor maximum
Nimis peccatum noxam excusat, non tollit læ vitas.
Linac. Habemus hic confitentes reos, quid volumus aliud?
Qui luit suæ imprudentiæ pænas satis luit,
Ad prudentiam quicquid ultra est ad vindictam pertinet
Quæ à nobis debet abesse longissime
Vt communibus amicis.
Prisc. Recte *Linacre* sed ut hujus perpetua
Maneant mali vestigia nequid audeant temere posthac.
Linac. Sane; neque si volumus integrum est nobis corri-
Satis res *Grammatica* accepit vulnerum (gere,
Ad memoriam rei æternam, sed videamus
An hæc quovis modo possint sanciri,
De *metallorum Nominibus*, & *leguminum*
Statuamus ut in perpetuum *numero* careant

Ne

Ne *Numerus* illis sit necessarius, do remedium
Sane ingeniosum, id vultis *Collegæ*?
Colleg. Volumus.
Pris. De *rebus* etiam statuams *proprijs*,
Vt *Plurali* careant *Nomina*,
Næ *Numero Plurali* destituta videantur,
Colleg. Et illud placet nisi unum *Nomen rebus*
Detur *pluribus*; ut *Cæsares*, *Fabricios*,
Scipiones plures appellare liceat;
Sed *Prætiritum Passivum* jacturam habet gravissimam
Quid huic morbo?
Pris. Invenias remedium ut hoc ex *Verbo sum*
Componamus, & *Participijs passivis*.
Colleg. Peritus hercle & ingeniosus es medicus,
Sit hoc autem in legibus adscriptum;
Sed quid remedium *Verbis neutris* adhibes
Quæ vocem in *or* perdiderunt?
Pris. Hæc facilius curavero, nam cum quid præponitur
Verbis in *r*, *Verbis* in *o*, substruitur,
Statuamus ne *Verba* in *o*, ullos regant *casus*
Qui *Passivis* suis præponi nequeant,
Formentque *Passiva* illarum *Personarum*
Tantum quas poterunt sibi substernere
Vt quia *vitam vivere*, & *cursum currere* dicimus;
Dicamus *vita vivitur*, & *cursu curritur*.
Linac. Nihil potuit rectius, aut æquius consuli,
Dignus *Prisciano* qui solus rei præsis *Grammaticæ*.
Pris. Quæ personas amiserint miserè *Impersonalia*
Substernant sibi *Casus* qui præcederent
Constanter tantum tertia *singulari* sine supposito

Dica-

Dicamus. que pro *ego misereo, tu misereris, ille miseret*
Me, te, illum miseret, &c.
Et pro *placeo, places placet,*
Mihi, tibi, sibi placet,
Nobis, vobis, illis placet.
Lil. Quando tam facile curas omnia
Incæptivis in *sco* adhibe Remedium.
Pris. Quando illa suum amiserunt *Præteritum,*
In ejus locum *Primativa* substituant
Vt ab *Erubesco, erubui,* à *Resipisco resipui*
Lil. Perge de ijs quæ amiserunt vocem in *o,* statuere.
Pris. Passivam significationem perdant *Deponentia,*
Quarum alia sunt *Activa, Neutra* alia:
Activum, & *Passivum* tenebunt *Communia,*
Vt quod duobus finibus signarent nunc uno significent;
De *facio* nescio quid *Faciam,* nisi vultis novam
Fingere *Passionem,* id si placet sit, *Fio,*
Collegæ. Perplacet.
Pris. Nunc quod reliquum est cladis, id funesti mali
Perpetuum sit Monumentum in *verbis Anomalis,*
Et *Nominibus Heteroclitis* ut qui *Grammaticam*
Post hæc attingerent funestum
Hoc bellum perpetuo execrentur.
Desp. Sed unum est, Iudices clarissimi,
Quod vos submonitos præcipue volo,
Multa è *Nominibus,* priusquam adierunt bellum funestum
Duplicem induisse formam, ut si hæc acciderit
Illa evaderent, cujus generis sunt
Tignus, tignum: Baculus, baculum:
Balteus, balteum: Menda mendum; Clypeus clypeum:

Et hujus generis infinita alia;
Alia sociorum mortuorum arripuisse exuvias
Neutra singularia, Femininorum pluralia,
Vt *balneum, epulum, nundinum, balneæ nundinæ, epulæ:*
Masculina neutrorum, ut, *sibilus, jocus, locus,*
Sibila, loca, joca; *Nominativos* duplices alia induisse.
Vno contenta genere, *vomis, vomer,*
Gibbus, gibber, cinis ciner, atque *cucumis cucumer*;
Quædam secundæ, ut *laurus, domus, quercus,*
Pinus, ficus, cornus, colus, penus;
Ad quartam declinationem deficisse, *vas*
Tertiæ, *jugerum* secundæ *declinationem* pro arbitrio
Mutare, tantam esse rapiendi, & furandi libidinem
Vt ipse *Iupiter* alienos *casus* invaderet
Metusque sit ne furto plena sunt omnia.

Lin. Est hoc sane pernicioſissimum, sed nos id videamus
Næ serpat longius, quæ vero fors belli nunc tenet,
Quosque non possumus sine injuria illi eripere,
In postremum ut suo quisque vivat cavebimus
Te vero *Verborum* Regem & te *Nominum*
Perpetua volumus colere amicitia
Et ne quid postea peccetis statuimus
Vt *Verbum* nudum sit sine *Nomine*,
Nomen sine *Verbo* otiosum, faciatisque simul
Sensum plenum, & *Orationem* splendidam,
Vivatisque concordia, discordia moriamini.

Poet. Vobis certum est parere.

Amo. Nec mihi repugnare certum est.

Pris. Negotium hoc perplexius intus transigetur.

Exeunt omnes.

Lilius, solus.

INter Amo Verborum principem jucundum,
Et Poetam Nominum Regem furiosum,
Iam tandem bella componuntur & lites.
Per totam Grammaticæ provinciam nunc pace vivitur.
Regulas bene vivendi quisque habet, & leges
Cum Privilegio dyplomate Regio confirmatas
Agnoscunt omnes, Ut latius apparent
In libro Decretalium qui sic inscribitur,

BREVISSIMA INSTITVTIO

SEV,

Ratio Grammatices cognoscendæ ad omnium puerorum utilitatem præscripta:

Quam solam Regia Majestatis in omnibus scholis docendam præcipit.

Valete, & Plaudite.

FINIS.